



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 34. Collationis exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

bant. Hypacius respondit: *Hæc Epistola, S. Cyrillo etiamnum in vivis agente, in lucem edita, ipsum non permovere potuit, ut pacem turbare vellet, quod in Epistola sua ad Valerianum Iconiensem data ipse profitetur. At nihilominus Concilium non prius Ibam recepit, quam Nestorium & Doctrinam ejus anathematizasset. Hoc modo ipsi Nestorius & Eutyches, si Errores suos abjecissent, a Concilio recepti fuissent. Itaque Concilium Calcedonense Ibam & Theodoretum difficiliter receperunt, quam S. Cyrillus; huic enim suffecerat, quod in Condemnationem Nestorii, & in Ordinationem Maximiani Constantinopolitani consensissent, at Concilium ab ipsis exegit, ut Nestorio Anathema publice dicerent. Orientalibus hac responsione satisfactum videbatur. Ita secundam Collationis diem clauserunt.*

§. XXXIV.

Collationis Exitus.

Die tertia Imperator cum Senatu & Euphemio Patriarcha Collationi interfuit. Episcopos considerare iussos lenitate, quam omnes admirati sunt, ad Pacem & Concordiam hortatus est. Orientales Justiniano secreto suggesserunt Catholicos non confiteri, Deum in Carne sua passum fuisse, nec illum, qui passus est, unum esse de Trinitate, nec Miracula ab

Sæculum VI.
A.C. 532.

p. 1776.

p. 1777.

Sæculum VI. Eadem Persona, quæ passa esset, fuisse
 A. C. 532. profecta. Hypacius his super Articulis
 p. 1778. ab Imperatore interrogatus respondit:
*cum Ecclesia Catholica confitemur, Ean-
 dem Personam, quæ Miracula edidit, JE-
 sum Christum, passam esse, non vero Ean-
 dem Naturam. Caro passibilis est, & Di-
 vinitas impassibilis. Unus est de Trinita-
 te secundum Naturam Divinam, & Unus
 ex nobis secundum Carnem. Est Consub-
 stantialis Patri secundum Divinitatem, &
 nobis secundum Humanitatem.*

p. 1779. Finita Collatione Imperator iterum
 Episcopis collocutus est; sed unus tan-
 tum ex Severianis nempe Philoxenus Du-
 lichii Episcopus eo adduci potuit, ut ad
 Ecclesiam rediret. Verumtamen multi
 Clerici & Monachi, qui cum Episcopis
 venerant, Ecclesiæ Catholicæ redditi in-
 ter maximæ lætitiæ signa ad Ecclesias suas
 & Monasteria reversi sunt. Aliqui Sy-
 riace loquentes Episcopis Catholicis per
 Interpretem dicebant: *Isti seduxerunt
 nos, & nos plures alios seduximus; quip-
 pe dicebant nobis, S. Spiritum ab Ecclesiis
 & Baptismo Catholicorum recessisse. Spe-
 ramus vero, nos ope Divinæ Gratiæ ple-
 rosque eorum, quos decepimus, ad unita-
 tem reducturos.* Talis fuit Exitus Colla-
 tionum Constantinopolitanarum, qua-
 rum Acta non habemus, sed fidelem Re-
 lationem in Epistola Innocentii Episcopi
 Maro-

Maronienſis ad Presbyterum, cui Nomen ^{Sæculum VI.}
Thomas, data. Hoc Colloquium anno ^{A.C. 533.}
532. habitum creditur.

§. XXXV.

Monachi Acemetæ Romæ.

Haud multo exinde elapſo tempore Ju- ^{Lib. bref.}
ſtinianus Imperator Romam miſit ^{c. 20.}
eundem Hypacium Archiepiſcopum E-
phelinum & Demetrium Episcopum Phi-
lippenſem conſulturos Papam & Sanctam
Sedem contra Cyrum & Eulogium Mo-
naſterii Acemetarum delegatos, qui iter
jam Romam præceperant. Hi conten-
debant, dici non poſſe, S. Virginem Ma-
riam vere & proprie eſſe Dei Genitri-
cem, neque unum de Trinitate Carnem
aſſumſiſſe. Episcopos ab Imperatore miſſi ^{Lib. Pontif.}
Eccleſiæ S. Petri Cæſarea dona, vas au- ^{in Joan.}
reum Librarum quinque, gemmis reful-
gens, duos Calices argenteos Librarum
ſex ſingulos, quinque alios librarum
quindecim, & quatuor vela auro intex-
to pretioſiſſima obtulerunt.

Inter hæc Imperator Edictum publi-
cæ Lucis fecit ad Populum Constantino-
politanum directum, in quo Fidem ſuam ^{L. 6. Cod. de}
de Trinitate & Incarnatione profitetur, ^{S. Trinit.}
atque nominatim Neſtorium, Eutychem
& Apollinarem anathematizat. Huic
Edicto decima quinta Martii 533. Ju-
ſtiniano tertio Conſulatum gerente dato
Pa-